CARMINA QUAEDAM HAUD INUENUSTA, IOHANNIS MAIORIS DOCTORIS: QUORUM CATALOGUM...

Johann Major

CATALOGVS
Carminum.

1. *Εἰδύλλιον in ſacrum nuptiale Filiæ Illuſtriſsimi Electoris Saxoniæ Ducis Auguſti.*
2. *Epitaphium Ducis Adolphi, Filij Electoris Saxoniæ Ducis Auguſti, &c.*
3. *Carmen in natalem Ieſu Chriſti, in quo hypotypoſis inſerta eſt Tragœdiæ à Rege Galliæ nuper excitatæ.*
4. *Carmen factum in Paſchate. Anni 73.*
5. *Epitaphium Amiralij, &c.*
6. *In Gallicum Regem, & annum Iubilæum Pontificis.*
7. *De ſydere inuſitatæ magnitudinis ac lucis in conſtellatione Caſsiopeæ.*
8. *Τέρας in orbe Lunæ conſpectum, ſpecie crucis, cui & linea colorata à læua aſtitit, &c.*
9. *Carmen de rebus in Gallia, & Belgico geſtis, per effictionem Muldæ fluuij.*
10. *In Iohannem Naſs, verſantem Ingolſtadiæ, ex Sartore Monachum factum.*
11. *Carmen in die 25. Martij, ad Electorem Saxoniæ Ducem Auguſtum, &c.*

ΕΙΔΥΛΛΙΟΝ IN SA-CRVM NVPTIALE FILIÆ, *ILLVSTRISSIMI ELECTORIS Saxoniæ, Ducis AVGVSTI, &c.*

ADONIS.

Tempus erat, quo terra ſuis ſe prodiga donis
Exornat latè, pingitq́; coloribus arua,
Auiaq́; exultant auium modulamine teſqua,
Et manè aërium libant examina rorem,
Nectareoſq́; fauos, & dædala tecta figurant:
Ecce ſuo quodam fato compulſus Iölas,
Quem mirata graui referentem carmine Cygnos
Albidos in ripis amplexa eſt candida Oreas,
Myſorum in ſcopulis, & culminibus præruptis
Errans hùc, illùc, virides dum colligit herbas,
Pana Deum vidit luſtrantem in rupe remota
Naïadum molles operas, & florea texta,
Iura dare, & faciles ceptis reuocare puellas,
Tollite cuncta, inquit, veſtraſq́; hùc vertite mentes
Quæ dicam, & viridi mecum conſidite in antro.
Res ſacra, & tædæ nouitas, pactiq́; hymenæi
Poſcunt nos, veſtraſq́; operas: Quid nomine tali
Veſtra manus poſsit grati præſtare laboris,
Pro ſe quæq́; ſua faciat ſuper arte periclum.
Dona acri mittenda Duci, qui præſidet Albi
Cura Deûm, atq́; amplo quē dicūt nomine Adonin.

Huius nata, genus Regum de matre, parente,
Semideûm Heroum, Dîis ædita Deïopæia
Inſignis facie, inſigni virtute Camillo
Rhænicolæ, pacta eſt thalamum, ſequiturq́ maritũ
Diua Deum, linquens Albim, Bacchoq́ virentes
Præponit colles, & Nicri rauca fluenta,
Quam non clara opibus varijs, & fœta metallis
Oppida Myſorum, Nec qui pòſt numina cœli
Alter amor patriæ eſt, incepto flectere poſſunt:
Vincit amor, Fatumq́ potens in amore iugali.
Quare agite & ſi vos vel nomen Adonidis ingẽs,
Vel merita, & pietas caſtæ mouet Heroinæ,
Virginis aut niuei mores, ſanctiq́ pudoris
Intemerata fides, atq́ obſeruantia diuûm:
Conſulite in medium, & munus properate decorum,
Quod fieri cantu, vel texto germine poſsit:
Gaudet Hymen cantu, & genialis flore corollæ,
Qui ſine teſte venit, rarò eſt pius ardor amantûm.
Tres autem hîc poſitæ ſtabant iuxtà ora puellæ,
Quarum quæ prima eſt, Pietas eſt, optima virtus,
Virtutum genitrix eadem: cui vitta capillos
Colligit in nodum, talos ſtola candida ad imos
Defluit, atq́ oculos ſupera ad conuexa reflectit.
Altera, quæ ſoror eſt, retinens Aſtræa bilancem
Iuncta fuit lateri, cui curæ eſt iuris & æqui
Fixa, tenax ratio, quæ neutra in parte vacillat,

Et

Et læua fulgentem auro, rutiloq́ Pyropo,
Vibrantemq́ faces ex ſe ſub imagine ſerræ
Mucronem rotat: Hoc, caſſos vi, viribus armat,
Hoc, & vim cohibet, ſonteſq́ ad tartara mittit.
Tertia ſed comes his, Pax eſt, tutela duarum,
Aurea Pax, grauidis has circum amplexa ſub alis,
Tangere neu quis eas, ſubitiſve inuadere in armis,
Et cætum turbare, & vitæ fœdera poſsit.
Tres equidem hæ Diuæ, cuſtodes eſſe feruntur,
Delitiæ pariter Domini, & ſua cura, ſuum cor.
Quòd niſi ſint: ſtridens vicinis Æolus antris,
Ventos, quos ſapiens incluſit Adonis in vtrem,
Miſerit: hi rapidi cœlum, maria omnia, terras
Quippe ferant ſubitò ſecum, fundantq́ ſub vnum.
Tum prior ingreditur Pietas, cui ſigna decoris
Diuini in factis, in dictis numen, & vni
Surgebat chorus omnis, & intenti ora tenebant.
Rem nulli obſcuram, noſtræ ſed laudis egentem
Diſſeris ô bone Pan; Multos res ipſa fateri
Cogit, quid regio ferat hæc, dum floret in illa
Vna anima hæc in corde trium, Pax ſcilicet aureâ
Vna trium, Pietas ego, pacis neruus, & ardens
Iuſticia, vtranq́ obſeruans, atq́ hoſpita vtriq́
Dans tecta, & ſedes placidas, Quo tempore pulſa
Labe hominum, extrema his terris veſtigia feci.
Antè Deûm excitus fato quàm ſacra retexit

Paſtor Ariſtæus: dominis ſeruire Lupercis
Heroum ſanguis plures eſt viſus in annos.
Eripui, fateor, vinclis me, & colla reſolui
Preſſa iugo Patris Tyberini, Atq; vrbe creatum
Æriſera, his terris exciui numine ad aras
Qui maſſam argenti, cœleſtia ſacra, metallo
Quod Myſi dicunt, Orichalcum cætera turba,
Et cupreis nummis temeratam, rurſus in igne
Conflaret, cui ſit follis vice Spiritus oris,
Vt ſcoria abſterſa, pura, & ſine labe niteret,
Cocta, recocta iterum nigræ in teſtudine terræ.
Quid non liuor adit? Multi, quòd Adonidis il-
Gloria perſtringens obliqua luce coquebat, (los
Contrà fata Deûm, furijs inſurgere contrà,
Et picis Illyricæ feces aſpergere adorti
Huic puræ, & terſæ, valida conantur opum vi,
Si non oppoſitus contrà hic obſtaret Adonis,
Vimq; Deûm infernam noſtris auerteret oris.
Viuat iò, & maneant in relligione nepotes:
Hoc ipſi votum magni vice muneris eſto.
Inſuper & frontem Panaceæ flore corono,
Flos ſacer omninò qui dicitur ore Pelaſgo.
Tum ſubit Aſtræa extemplò: nitet Heſperus il-
In frontem, & radijs fulgens obit ora coruſcis, (li
Et breuiter virgo placido ſic pectore fatur:
Ipſa ego fas, æquumq; rego, diuerſaq; facta
Lancibus

Lancibus impono, Fatum eſt ſibi quisq;, Deusq́;,
Maximus, & minimus nullo in diſcrimine habẽtur.
Ipſa vbi ſum, tunc ponè legit Pax aurea greſſum
Filia Iuſticiæ: Nos ſeruos legibus eſſe
Conuenit, vt ducibus libertas ſurgat ab illis.
Antè meum aduentum, tunc Papæ iniuria iura
Miſcebant fas, atq; nefas: Sed vindice dextra
Emendans Pietas decreta infanda refellit.
Ni Pietas aſsit: fora, luminis orba vacillant,
Turbatur vitæ ſtatus, & præfertur honeſto
Vtilitas, & pro vicio fert crimina virtus.
Viuat iò ius, atq; æquum, cuſtodia regni:
Aſtræa hoc voto generoſum donat Adonin.
Addit & hunc florem, qui Moly nomine dictus
A priſcis habitus Sapientia. Floreat ergo
Cum Pietate Dei noſtris ſapientia terris;
Quæ Pietate Dei vacua eſt, ſapientia non eſt.
Finierat: cum ſic exceperat optima rerum,
Quas mundus ſub Sole videt, Pax cincta virenti
Frontem olea, circùm quam diuite Copia cornu
Inſequitur donis: ſalua hac, ſunt omnia ſalua.
Pax ego, Iuſticiæ ſum cuſtos, Filia matrem
Defendo, & pactis vicibus defendor ab illa.
Per me, ſtant elementa fide, ne machina mundi
Rurſus in antiquam migret reuoluta figuram.
Pace vigent artes, Pacis ſunt omnia munus,

Liber, & alma Ceres; Pax viles extulit vrbes,
Eruit ingentes bellum: victoria pace
Inferior, cuprum eſt auro, virtutibus aurum.
Olim Tiſiphone vicinis ædita ab antris
Excierat cuneos latronum in Martia bella,
Vt, ſi me ferro expulerant, nil deêſſe putabant,
Quin omnem hanc poſſent ſua ſub iuga mittere ter-
Et Pietas ſit pulſa fuga, pro iure, libido (ram,
Sit ſua; Quòd ſi non pia cura armaſſet Adonin
Præſidium afflictæ: iam tum ferus omnia Mauors
Diluuio miſcens inimico exhauſerat enſe.
Viuat iò, rerumq; diu potiatur Adonis:
Hoc votum auguſto tibi, Pax auguſta remittit.
Atq; vt amabilior ſim quò diuturnior eſſem:
Pax ego cæruleo tibi Teucrion offero flore.
Ex tribus his, ſertum tua Deiepæia Camillo
Eſſe velit, patrij monumentum, & pignus amoris.
His iunctis quoniam ſuaues naſcuntur odores,
Ex viridi Panace, Molyq;, & Teucridis herba.
His ita tranſactis; Pan & laudare reperta
Mira modis miris, & quamlibet eſſe peritam
Dicere in arte ſua: Tum gratum amplectitur omen,
Quod fixumq;, ratumq; velint pia numina diuûm.
Diſceſsi, & rapidus memori quæ mente notaui
Vota puellarum, fixi, in numerumq; redegi,
Ne diſcerpta volent rapidis ludibria ventis.

EPITA-

EPITAPHIVM DVCIS ADOLPHI, FILII AVGVSTI DVCIS SAXON: ELECTORIS, &c.

DVM flos illuſtris Reginæ occumbit Adolphus,
Regie flos mœſtas dic Hyacinthe notas.
Vix illum oſtendit terris DEVS: Ecce repentè
Floribus inuiſus decutit Auſter humi.
Sic roſa, quam tepidi vix parturit aura Fauonî,
Manè viret, languet veſpere, nocte cadit.
Paruus erat: ſed non parua eſt iactura: minutũ eſt
Heroë imperium, nos Duce, prole parens.
Tempore quo terram mos eſt producere flores,
Hic flos demeſſus colla recondit humi.
Sed pater Auguſtus ceu vinci neſcia palma eſt,
Ac oleæ ſpeciem regia mater habet.
Non nimiùm fracti laxant ſua frena dolori:
Parendum eſt fati legibus, atq; Deo.
Hunc iam principibus permiſtum credit Olympo,
Atq; auiam, & vultum cernere regis aui:
Aut in complexus fratrum ſe fundere, & ipſi
Oſcula Mauritio ferre, referre Duci.
Scit pueris cœlum deberi: ac eſſe beatos
Hoc magè, quò citiùs ſydera morte petant.

CARMEN
IN NATALEM IESV CHRISTI, IN QVO HYPOTY-
POSIS INSERTA EST TRAGOEDIAE A
Rege Galliæ nuper excitatæ.

NAte Dei, ſi nulla ſalus, fuga nulla malorum eſt,
Sed ceu concurſu trepido fatalis in vnum
Pœna coit: quænam vitæ ſolatia reſtant?
Nulla homine ex vllo, ſed te Deus omnia ab vno.
Huc, illuc oculos ferimus, ſi fortè receptus
Oſtendat ſeſe, ſed non oſtendit: habemus
Te ſolum, tu præſidium, tu Chriſte patronus,
Et pater es: Si tu nos deſeris alme, perimus.
Reſpice res hominum miſeras, &, ſi qua ſalutis
Eſt via, pande viam; via enim tibi nota ſalutis.
Nec genus humanum ſtaret, niſi miſſus Olympo
Veniſſes medio, & tibi viſcera noſtra ligaſſes
Fœdere, quo non eſt maius, neq; firmius vllum.
Quòd curæ nos Numen habet, res plurima ſigno
Nos inſtar dedit eſſe ſui: tum ſe extulit vltrò (eſt:
Sede ſua, & ſe voce aperit mortalibus ægris.
Sed non omen habet maius, nec pignus amoris(po
Tàm memorandũ æquè, niſi quòd demiſſus Olym-
Par æuo, par luce animi, par numine Patri
Filius in noſtram ſe colligit ipſe figuram,

Redde-

Redderet vt nobis diuino numine vitam.
Nanq; fidem fecit, ſe tale ad munus Olympo
Demiſſum in fragiles artus, dum corpore functos
Euocat è tumulis, & lumina morte reſignat.
Quare, dum tantis animis moderator Auerni
Rem gerit, inq; diem vires furor altiùs effert:
Sint noſtris animis ſcripta acceptiſsima Vatum,
Quæ te nate Dei fatales tegmen ad hoſtes
Declarant, & quæ miſeris fiducia, monſtrant.
Tu dator & cuſtos vitæ ſtas agmine ſacro,
Et miro auxilio tua dat præſentia ſignum,
Quòd ſcriptis ſit certa fides, quæ fontibus hauſta
Sacrorum Vatum toti proponimus Orbi,
Excidio portis Erebi, fraudumq; magiſtris.
Ac velut Herodis contrà arma latentia, & ægrã
Inuidiam regni, & tectum blando ore furorem
Parua tegente Deo caſa caſus manſit ad omnes,
Quâ ſedem exiguam pecora inter agreſtia habebãt
Virgo parens, natuſq; Deus, tutorq; Ioſephus
Virginis, & pueri, cœliq; ex arce miniſtri,
Doctoreſq; Oriente ſati, pecorumq; magiſtri,
Paruum agmen cœli, magni tamen agminis inſtar,
Virgo, puer, vir, paſtor ouis, tum doctor, & Ales:
Sic rex ille Deûm velit omni arcere periclo
Vnum animis, ſtudio, voce, ac virtutibus agmen,
In quo doctor adeſt, vireſq;, animumq; miniſtrat

 Filius

Filius ipſe Dei, & cauſſam tegit actor eandem.
Nam ſtygiū impreſſo pede nitens obterit anguē,
Anguis & ipſe pedem morſu arripit ore reflexo,
Religionis iter iam claudens ſanguinis aluêo,
Opponensq; moras illi ſacro aggere cædis.
Nec requieuit enim, donec vel rege miniſtro
Gallia cui paret, miſeræ ſpectacula mortis
Ederet, exemplo nullo, dùm ferrea blandis
Conſilia officijs tegit, & vim fraudibus abdit.
Quid moror: infundunt fractis ſeſe agmina valuis
Ferro accincta manum, & traiectum brachia glādε,
Ærea quam tonitru ſimulato canna vomebat,
Colignum inuadunt, quo non inſignior alter
Religione Dei, virtute, & fortibus armis.
Egregij intereà vigiles à rege locati
Præſidio Coligne tibi, mox agmina iungunt
Conſcia, dantq; aditus, & primi prælia tentant, (eſt,
Vimq; adhibent victo, mortē, quæ extrema malorū
Accumulant, nec morte furor contentus, ab alta
Deturbant ſpecula, & corpus miſerabile, iactu
Ad terram mittunt; caſu gemit excita tanti
Terra viri: ſæuit tota Mars impius vrbe,
Florem hominem primò, dehinc quæ tulit obuia
Corpora transfigunt ferro; reuerentia ſexus, (caſus
Ætatiſq; cadit, nuribusq; gerentibus aluum
Mucronē intorquent, iuguloq; hunc accipit infans
Ignarus

Ignarus rerum, atq; æuum exuit inſcius æui;
Immanis veluti pecora inter inertia ſtragem
Dat lupus, vtq; ſemel labra intepuêre cruore,
Tunc cæde abſiſtit, cùm cædi nulla ſuperſunt.
Quis cladem inſolitam tàm cæco Marte peractã
Explicet, infandumq; exæquet carmine crimen?
Iura, fidem, populus præſtet; fraus, regia res eſt.
Si non Colignum virtus & gloria texit,
Vt, quæ ſola poteſt facere, & ſeruare beatos:
Quo te præſidio fore tutum Galle putabis,
Cui virtus, fraudem capitalem admittere, ſplendor
Infamis nota, laus probrum, triplexq; triumphus
Ter violata fides, pietas, cor numine caſſum.
Si repetunt Superi pœnas pro fœdere læſo,
Teq; odio tellus habet, & te reſpuit æquor,
Omnia ſunt præcluſa fugæ; Sed tartara regem
Expectant te ſola, ſua tibi ſede recedit
Perfidus Ixion, & te rota concita vento
Accipiet radijs, Quem iuxtà ALBANE minaci
Pendebis ſcopulo, Lamiæq; ad pectora fixæ
Quem biberas auido elicient rurſum ore cruorem.
Hoc tamen ô Coligne tuam ſolabere mortem:
Dum rex ipſe ſuam perſonam imponit acerbo
Officio alterius, Regis cadis inclyte dextra.
Quid vitæ ad fructum poteras acquirere maius,
Cùm nil quò velles aſcendere ſanctius eſſet,

 Quàm

Quàm decoris tanti gradus, vt pro nomine Chriſti
Oppeteres; & cui virtus ſocia addita vitæ
Semper erat, mortis comes eſſet gloria viuax.
Quid tibi nunc animi eſt rex omni à laude relicte,
Viuis? non viuit cui non eſt nomen honeſtum.
Si nunquam audita eſt feritas tua, vixq; relinquunt
Facta locum fidei: dignus te Galle ſequetur
Exitus his factis; Dij, fraude rependite fraudem,
Et Capitolino prodatur ab anſere Gallus.
Nec ſolùm rex ipſe manus hoc ſanguine ſparſit;
Sed macula ſceleris gentem omni laude probatam
Imbuit, hæc tolli niſi regis ſanguine neſcit.
Vna pios aditu mortis ſpes addita mulcet,
Quòd Chriſtũ nouêre animis: Te Chriſte recepto
Dulce mori eſt: Tu lux animæ ſub morte labantis.
Nam ſi noſtra tuo de collo pendula maſſa
Numine geſtatur: quis nos tibi ſanguine iunctos
Extorquere tua audebit fortiſsime dextra?
Te nobis igitur donatum à Patre ſupremo
Credimus, & natum nobis te pectore toto
Accipimus, qui res hominum in meliora referres,
Hoſtes vi ſupera opprimeres noſtroſq;, tuoſq;.
Et cùm nulla ſatis præſens fortuna laborum eſt:
Tu rebus medium te offers, & certa pericla
Diſcutiens retegiſq; dolos, remq; eximis ægram.
O lux viua Patris, ſpes ô fidiſsima noſtri
Nate

Nate Dei, tibi nota Deo eſt mortalis egeſtas.
Iam ſpe nos omnes furor impius hauſit ad vnum,
Arma, viroſq; legunt: quid tum? ſi Chriſte vetabis,
Spes vana eſt, vana arma, viri vani, omnia vana.

CARMEN FACTVM IN PASCHATE
Anni *M. D. LXXIII.*

VEre nouo, ſpecies cùm formoſiſsima mundi eſt,
Et reditum in vitam præludunt gramina nobis
Omnia de terra lucis rumpentia in auras,
Primus homo eſt effictus humo: ſed virginis aluo
Alter homo conceptus erat de Flamine ſacro,
Et trabe transuerſa fixus quoq; tempore verno
Vitæ conſuluit moriens; hominumq; ruinam
Fulcijt in ligno, & rem fractam in terga recepit.
Nam quia factus homo eſt, vt in hoc diuina quieſcat
Natura, abſoluens opus admirabile mundi:
Non hominum maſſam penitùs ſuccumbere letho
Paſſus erat. Tantinè Deo eſt terreſtris origo?
Quòd pœnã à nobis transfert: amor emicat in-
Ira: quod in Natum confert, dũ nomine noſtro gẽs:
Se paci medium obiecit, Legiq; ſeueræ
Spontè ſatis fecit pœna, moremq; gerendo.
Semper Vere nouo patribus celebratus auitis
Mos Agni cæſi referebat munera C*HRISTI*:
Eſca:

Eſca: quod alma Fides ſibi confert munera Chriſti.
Hinc & edunt agnum, teſtes ſe credere in Agnum,
Per quem conſequimur veniã, & patris ira quieſcit.
Tu quoq; temporibus vernis A*BELE* dediſti
Æternam famam, cùm lethum primus adiſti,
Primaq; fraterno maduerunt ſanguine rura.
Tuq;, I*SACE* puer, genitor quem deſtinat aræ,
Feciſti veris tempus memorabile mundo.
Deniq; multùm operæ ſuſcepit tempore verno,
Cùm primos fœtus Ægypti, ſtrage trucidans
Nocte dies feſtos celebrat moderator Olympi,
Duxq;, comesq; viæ gentem in meliora reponit.
Adfuit & Nato, cùm luctam mortis, & iras
Suſtinuit patrias: Adſunt etiam agmina cœli
Diſtenta officijs, dum patrem implorat in horto
Filius, &, ſi fas, auerti hæc orat acerba.
Ergo date hoc tempus repetendis pectore rebus
Quas geſsit pater, & quas Natus pertulit olim
Vere nouo: & ſocios vos cœtibus addite ſacris,
Qui iuxtà aſtantes Chriſti doluêre dolore:
Nec vos ad partes gentis conferte reciſæ,
Aut inuentorem ſcelerum re reddite Iudam,
Qui prodit cari vitam & præcepta magiſtri.
Nam luctus ſocia in luctæ miſerabilis actu
Pandere terra ſinum, & cautes ſe rumpere viſæ.
Sol, ne fortè facem præferre ad facta putetur
Impia,

Impia, ſubduxit faciem, preſsitq́ repentè
Clara miniſteria, vt lucis dator ibat ad vmbras.
Verùm, animã exhalans animã aufert hoſtibus:
Peſtem infert; lethoq́ eſt illætabile lethum. (Orco
Mox raptis hoſti exuuijs ſe corpore claro
Rettulit in lucem, ſecumq́ eduxit ab vmbris
Agmen agens præ ſe patrum, quos reddidit æuo,
Olim æuo functos, atq́ in tellure repoſtos,
Iam, rerum comites, expectatiq́ triumphi.
Hincq́ fidem firmat, quod nos quoq́ fiſſa ſub auras
Reddet humus, ſeſeq́ ferent ipſi obuia paſsim
Corpora, cùm reditum referens in nube ſerena
Affectam varijs fatis rem gentis amicæ
Victor ouans nitido vehet alta ad ſidera curru,
Tali fortè anni ſpacio, quod reddidit olim
Non ſine mente equidem, tantis inſigne trophæis,
Et populum oppreſſum Pharij ditione Tyranni
In res antiquas, libertatemq́ recepit.
Nã quo more ſacram rẽ digerat autor Olympi,
Dulce dedit ſpecimen, cùm caſſam robore, & armis
Iſaciam gentem fatalia duxit ad arua.
Carpit iter noctu ſuſpecta per oppida Nili,
Et ſtragem primæ ſtirpi dat noxius ales:
Sed lita cæde Agni pia tecta intacta relinquit,
Et pede declinans dat ſaltum innoxius ales.
Sic ſeſe inceſſu fert omni ætate per Orbem,

Et caſu inſigni nunc hos, nunc afficit illôs,
Oſtendens pœna numen iuſtumq́;, memorq́;.
Nec minus intereà legit omni ex ordine partem
Præconum officio, atq; inflexus ad obuia Nati
Vota, pio generi parcitq́;, iraſq́; remittit,
Eq́; hominum, & lethi manibus ſubducit auaris.
Tu modò regnorum ſeriem complectere mente;
Quas hîc pœnarum facies, quæ dira videbis
Excidia ? Et ſemper furia, atq; iniuria iunctis
Paſsibus incedunt, & fixa eſt vltio ſonti.
Nam poſtquam traxêre vicem: tum caſib. Orbem
Implicuêre ſuis, atq; oppida vaſta dederunt
Hauſta face ac ferro. Sed temperat omnia Fatum,
Fertq́; vicem magnis, nec firma potentia mundi eſt,
Fitq́; breui puncto magna inclinatio rerum.
Cùm cladem Iöniæ daret vrbibus aduena Cyrus,
Millia multa hominum pelago ſimul hauſta dede-
Luctantem ſub aquis animam, paucíq; relicti (runt
Quæſiuêre alio patriam ſub Sole iacentem.
Mox & Pellæi iuuenis fatalia bella
Incubuêre Orbi. Sequitur Romana poteſtas,
Viſq́; Saracenæ gentis, quæ iugera ponto
Inſita, Cretæaſq́; euertit funditùs vrbes,
Succeſſuq́; alacris, progreſſum fecit ad oram
Italiæ, & ſedes amplas, operumq́; labores
Egregios, paſsim in cinerem ſparſo igne redegit.

Tum

Tum genus acre virûm Gothi, fortesq́ Cayci
Latum limitem agunt ferro: & ferus Attila magnos
Æquat humo vicos, quos Itala natio, vel quos
Gallica, vel tenuit gens creta Tuiſthone quondam.
Hinc & Caucaſeo de vertice ſigna mouentes
Inuasêre Aſiam Turci, tractusq́ Pelaſgos
Oppreſsêre iugo, & neruos virtutis & artis
Eliſêre ſimul: iam ſunt vacua arua colonis.
Cecropis vrbs olim caput inter nubila condens,
Nunc textas è fronde caſas, & vilia tecta
Exhibet. Et ſortes quondam has dabat ore Sibylla;
Roma virens, vix ramus erit, deletaq́ Delus.
Tuq́ Lutetia eris pòſt dicta Lycetia, ſæuis
Facta lupis ſtabulum, vaſta, & cultoribus orba.
Nuper enim infidam per regis prodita dextram
Lumina tot cecidêre hominum. Et ſua pignora plo-
Imploratq́ fidem paſsis ad ſidera palmis (rat,
Rélligio. O regio, & rex, plena cruoris hirudo.
Hos inter caſus hominum, extremosq́ labores
Imperij labentis, erit tamen abdita fatis
Gens pia: ſi voces ſacras tractabilis audit,
Diſcendi & labor eſt potiùs, quàm ſtulta voluptas.
Vel rumpant elementa fidem, nexuq́ ſoluto
Vndaq́, flãmaq́ mundum, homines ruat aggere eo-
Non tamẽ vlla pij generis monumẽta fatiſcent (dẽ:
Excidio: nam fida dedit promiſſa Deûm rex,

Quod feſſam ſenio rem ſacram imponere tergo,
Et ſaluam præſtare velit: licet vndiq; tela,
Et circùm fuſis premeret fraus impia caſtris:
Et faciet, nec quæ pepigit ſua dicta reflectet.
Ergo pium ſemen, quod ſacras prouehit artes,
Semper erit reliquum, & Mauors nō omne reuellet.
Qua ſpe ſubnixi tantò maiore colamus
Impete rem ſacram, quantò minor area vitæ eſt.
Reddenda eſt terræ ſua terra, & vita metenda
Omnibus, vt fruges: hæc lex eſt ferrea Fati.
Viderit: argutos texat modò tela labores,
Doctrinæq; vacet, dum dant ea ſtamina Parcæ.
Cùm terram fatalis aquæ vis hauſit, & æſtus
Vortice communi pecudesq; hominesq; peremit:
Stat media in cymba, quæ tunc reſtantia lymphis
Agmina ſeruabat, Nohamq;, genusq; propinquū
Filius ipſe Dei caſus tegit autor ad omnes.
Is ſua declarat præſentia numina ſemper,
Ne regum in fato, & regionum in turbine ceſſet
Notities rerum ſacrarum, artesq; miniſtræ:
Etſi bellorum telam Mars texat, vt omnem
Teutoniam ad patris Tyberini iura reducat,
Et paſsim fluuij violentis imbribus aucti
Vrbibus excidij dent ſignum. Nanq; ſub ipſo
Pleiadis exortu rupta de nube reſultans
Maxima vis vndæ amplexu premet omnia cano,
Arbori-

Arboribusq; dabit ſtragem, quatietq; tridente
Neptunus muros, & vicos ſoluet in alueos,
Cum dominisq; domos trahet, & disiecta per vndas
Pignora plorabit mater, plorantis & ora
Matris aquæ infuſæ claudent, miſerabile viſu,
Tigna caſæ, & viles gazæ, tum ingentia clauſtra
Portarum, & pontes rupta compage natabunt,
Martis & incurſum præludet is impetus vndæ.
O victor mortis, vitæ reparator, & autor,
Adſere nos, cauſſamq; tuam, & caput Anguis auiti
Sub pede pone tuo; quia nunc tantò acrior inſtat,
Quantò iudicij propior ſibi terminus hæret,
Qui diram illuuiem, & ſpectacula triſtia morum
Conuentus trahet in medios, vt deſtinet Orco
Clara luce reum factum, cauſſaq; cadentem.
Hunc tu Nate Dei iam iam dare vaſta paranteṁ
Sacra tua, & leges vitæ, à conatibus, & ſpe
Deijce, & infirmos in collum ſuſcipe cœtus,
Paſtor vt in lucem fuſos, nec firma tenentes
Signa pedum, gremio ipſe ſuo fouet obuius agnos:
In te vita hominum eſt ſita, & omnis cauſſa ſalutis.
Mundus, in ætate eſt ſumma; & vertigine pro-
Tentatur caput, & reliquæ ſub corpore partes (num
Deſunt officio; nec mens affecta ſtupore
Scit ratione vti: ruet ergo à ſtirpe. Quid autem
Vera facit ratio, viuitne, vel occubat vmbris?

Vmbra operit, magnaq; Europæ in parte reſultat
Magna voluntatum diſiunctio: pondere nullo eſt
Ius & vis regni procerum; diuellitur ordo
Publicus, à'q; ſtatu motus ſua munera neſcit·
Tranſigere, vt par eſt, & ducit opinio mentes
In varias partes: Vix vno heroë tuemur
Spes reliquas, in quo lucet vis mentis, & inſunt
Officij antiqui ſigna in pietate tuenda;
Sicut in Elyſio, ſi vera eſt fama, receſſu
Tireſiam ſolum ſapere aiunt, cætera paſsim
Agmina per lucos vmbrarum more vagari.
Tu fomenta adhibe Chriſte, in ſolidũq; reducens
Vulnera, diſtractas refer ad pia fœdera mentes.
Quippe, tuum officium noſtræ non deêſſe ſaluti
Sueuit: ſed nobis ſunt vulnera noſtra liganda,
Néue ad ſubſidium deſit ſibi quiſq;, videndum eſt.

EPITAPHIVM AMIRALII, &c.

Colignus iacet hîc, ſed non iacet inclyta virtus,
Oppreſsit Regis quam malè fida fides.
Quæ diuæ huic aſtãt, quarum vna flet, altera ridet?
Quæ flet, Religio eſt, ridet eam Nemeſis.
Fles, inquit, meritò, nam mortis cauſſa fuiſti;
Rideo, nam vindex ipſa ego mortis ero.

DE SY-

DE SYDERE VIII. NO-
VEMB. M. D. LXXII. OBSERVA-
TO, INVSITATAE MAGNITVDINIS ac lucis, in conſtellatione Caſsiopeæ.

QVæ noua ſigna polo? quem caſum ignota mi-
(nantur
Lumina? Diû veſtros omen cõuertite in hoſtes,
Et placidi ſeruate pios. Fax inſita nuper
Aëris in campis ſociam ſe miſcuit aſtris
Caſsiopea tuis, & magna prædita luce,
Et par mole Ioui, me mira per omina ducit. (eſt,
Nam vinctæ Andromedæ ſpecies hac parte locata
Et circùm horribili Perſeus in imagine fulget,
Et Cepheus, ad quem retrò veſtigia flectit,
Cuncta Ioui ſimilis motu, qui proximus illi
Vertitur, & flammam attribuit, flammæq́ colorem.
Hæc ſeſe in ſpacia educit, rurſumq́ reducit,
Qualis agit geſtum velox Cyllenius ignis.
An ſpes, ánne metus lateat, pax reſtet, an arma
Dum dubitant Vates dabit experientia ſortes.
Nos tanti facimus Vatum monita optima, quanti
Officium noſtrum: Quare cœleſtia monſtra
Protrahere in medium fera facta, & cœca videntur
Conſilia, ac ſi rex ſuperûm demiſſus Olympo
Luſtret humũ, & nobis ſortes ſancto ore loquatur.

Nam

Nam vox illa Deo eſt,cùm cœlum ſigna dat, & cùm
For ma minax aliquid prædicit, & omina ſancit.
Impia fraus Orbi motum allatura, vicesq;
Imminet à Borea: pulcræ ne credite fraudi (da,
Pulcra monet ſtella: & magna eſt,vis magna cauen-
Ne vinctam adducat Moſcus per inhoſpita luſtra
Addictam Chriſto gentem, Quam carmina vatis
Ieſſæi,inducunt miſeranda voce querentem,
Quòd procul à patria degit per regna Meſechi,
Et pars in vacuis Arabum ſe continet aruis.
Quin poſita in medio ſtat belli cauſſa, Poloni
Sceptra relicta ſoli: quod ſi ſua ſub iuga mittat
Barbara gens, quis deînde gradum cohibebit euntis
Ne iura & mores, & ſacra aliena reponat?
Quicquid id eſt,timeo,Boreæ ne à vertice ſparsũ
Virus atrox Arij cum viribus occupet Orbem,
Ceu noua fax radios ex ſe iacit vndiq; in orbem.
Primus hic in lucem ſe ſuſtulit error: & idem
Vltimus inuiſum Chriſto caput exeret Orco
Ima ab ſede ruens pia fundamenta ſalutis,
Vt gens lecta etiam, & Chriſti non inſcia, poſsit
Errare, & ſentire minus benè turba bonorum.
Id metuens, celeri pede ſigna mouebit ab alto
Æthere; ne ſi fama loco ſua diua feratur,
Omnia de medio ſolatia rapta ferantur.
Hîc vigilate viri, & Chriſti defendite numen,
Omnis

Omnis quem gemitu, & votis ſcriptura vocari
Imperat: ergo audit gemitus, videt abdita vota,
Quæ ſoli natura Deo eſt: & gloria ſupplex
Illa precum, agnoſcit naturam, & numina Chriſti,
Qui cum Patre Deus mundũ, & res cõdidit omnes,
Et præſens, & vbiq; potens videt omnia, & audit
Omnia, moxq; hominum vitas & crimina diſcet.

Sed vos, ne ſtatus imperij, vel forma ſacrorum
Commutet faciem ſeu vi, ſiue arte, videte.
Conſulite in medium, & quæ cuiq; eſt copia mentis,
Vnius in patriæ, & veſtram transferte ſalutem.
Et ſaltẽ hanc ſpeciem quæ nunc eſt, languida quam eſt,
Vna mente viri communi arcete periclo,
Et retinete manu, aut meliorem quærite fruſtrà.
Sed peiore loco vt ſitis: gradus vnus, & vna
Inferior ſors eſt, ſiue hæc ſit mortis honeſtæ,
Siue iugi turpis: quod vt euitare velitis,
Conſulit è cœlo Numen, quia ſana receſsit
Ex terris ratio. Sed vincite fata precando;
Nam faciles ſinet eſſe preces, qui ſponte ſalutis
Monſtrat iter: Nobis error fugiendus Auerni eſt.

IN GALLICVM REGEM: ET ANNVM IVBILÆVM PONTIFICIS.

Viator & Mercurius.

Viator. Vnde redis, Mâia genite? *Mer.* Ex Acheronte. *Viat.* Negotî
Quid fuit? *Merc.* Vt Gallo conſtituam hoſpitiũ.
Viat. Quis iuſsit? *Merc.* Superûm Rex. *Viat.* Qua ratione? *Merc.* Quòd eſſet
Perfidus. *Viat.* At nondum eſt morte ſolutus? *Merc.* Erit.
Viat. Quî ſcis? *Merc.* Iupiter hoc Iunoni dixit in aurem,
Illa mihi claris vocibus, ipſe tibi.
Viat. Papa tamen cœlum promiſit? *Merc.* Tartara cœlum
Papa putat, Ditem nam colit ille Deum.
Cælati argenti rationem ducere, cœli
Non ſolet; hoc vendit, non habet ergo. Vale.

ΤΕΡΑΣ, IN ORBE LVNAE CONSPECTVM SPECIE CRVCIS; CVI ET LINEA COLORATA *à læua aſtitit, 17. Febr.*

Omnia ſtant elementa fide; ſed in ordine verſo
Sæpè ferunt læſi triſtia ſigna Dei.
Nox erat, & plenùm Phœbe collegerat orbem,
Quem crux in medio ſcindere viſa fuit.
Et latere à læuo dare longum linea tractum,
Iridis in morem ſigna coloris habens.

Quid

Quid coniectore eſt opus? in contraria vota
    Scindentur ſubitò turbida corda Ducum.
Multaq́ ſe in varias ſoluet ſententia partes,
    Quòd crux, & vario rima colore monet.
Inſita crux Lunæ, certè fert omina litis:
    Et docet ex ſignis fata futura *DEVS*.
Qui ſortes cœli rides, en aſpice mortes
    Quas terra eximijs fertq́, feretq́ viris.
Rege Polona vacat regio: Et res Teutona paſsim
    Neſcio quos motus ſollicitata dabit.
Fertur apud Belgas furijs *ALBANVS*: & illic
    Occidis pullos perfide *GALLE* tuos.
Pro ſcelere his cœlum iam donat *PAPA*: ſed errat
    Si cœlum ſceleris perfugium eſſe putat.
In ſtyge, pro Gallo, atq́ Albano milite donum
    Eſt ager: hunc agrum diuidat emeritis.
Vendere ſed mauult aliena, vt propria ſeruet:
    Nam ſtyga perpetuo iure tenere cupit.

CARMEN DE REBVS IN GALLIA, ET BELGIO *GESTIS; PER EFFICTIONEM* Muldæ fluuij.

NE quiſquam obijceret leuitatis crimina Gallis,
Ter iam in perfidia luxit conſtantia regis.
Ergo doli armorum ſubiti, cædesq́ꝫ ſecutæ
Semideûm procerum : pueri, innuptæq́ꝫ puellæ,
Vna, eâdemq́ꝫ opera fœtus, cum matribus ipſis
Nondum viſa etiam liquerunt lumina lucis.
Hæc incredibilis rerum vt fama impulit aures;
Mulda pater voluens animo fata horrida fata.
Dicitur hæc, gelidis ſecum increpuiſſe ſub antris.
Ergo etiā in Chriſtū criſtā erigis improbe Galle,
Et commiſſa putas fore clàm periuria, nec te
Pœna Dei, nec pœna hominum, quarum illa ruinā
Fert animæ, hæc, famæ maculas, à cæde retraxit?
Iam ſcimus quæ ſama tua eſt; quæ pœna, ſciemus.
Nec longùm ſcelere hoc lætabére: Te quoq́ꝫ fatum
Carpet idem. Ah quoties Chriſti te dicis amicum,
Tu toties Chriſto malè dicis peſsime regum.
Æmulus an veterum ſcelerū, inuentórve nouorū es?
Hæc ſuperas, atq́ꝫ illa: dolo tantum inſtar in vno eſt.
Infelix ô ſemper oues pecus, iſta luporum
Dum forma imperium paſtorum nomine geſtat.
Aſpice, cognoſces ex TETRIDENTIbus oris,
Frons hominem præfert, mens, eſt de ſtirpe luporū.
Turpis ab Alburno volat ad ſola Teutona Aſi-
Et grauiter pecori medijs feruoribus inſtat. (lus,
Dij, pomum Alcinoi tali defendite monſtro;
Nam

Nam pomum afficere & poſſe, & nō nolle videtur;
Eripite huic alas, & fumo arcete ſequaci.
Qui legitis flores, naturas diſcite florum:
Lilia, ſunt varium genus, & mutabile ſemper,
Dum ſtant, flore cadunt: Sed ruta vireſcit in annū:
Non igitur ſtabilem florem miſcete caduco,
Nullus amor regi Gallorum, aut fœdera ſunto.
Vipereo generi pugnam factura cruentam
M *VSTELA* armauit viridi ſe germine rutæ:
Huic auium regina moras facit inter eundum.
Parce, viam nec claude, tuum eſt cohibere Draconē,
Qui tenet Heſperidûm nunc punica mala Draconē:
Cedat amor iuri, & vincant, quos vincere dignū eſt.
Accipite ergo animis quæ dira oracula pandam:
Gallo, tempus erit vita cùm optauerit emtum
Infectum hoc facinus, nec læſum fœdus: & iſtam
Non niſi lethæis maculam delebit in vndis.
Qui nunc Alburno de monte volauit Aſilus,
Non equidem ſtabit, nunquam tamen ille iacebit:
Fixus Araneoli telæ debetur Aſilus.
Irruite, vt facitis: pietatem inuadite ferro
Vt libet: haud omnes vitam effundemus inulti.
Hæc, & prætereà quæ plura immurmurat antro
Mulda pater, prohibet me ſcire, & ferre ſub auras.

IN IOHANNEM NASS, INGOLSTADIÆ VERSANTEM,

EX SARTORE MONACHVM FACTVM: ſcurram omnium indoctiſſimum, atq; audaciſſimum.

NAm quæ te tonſi gregis audaciſsime Naſse
Impellit mens læua ſacros fœdo ore labores
Herculis Albiaci ruere, atq; in prælia velle
Ferre manum contrà, cui nemo ex agmine veſtro
Vultum impunè tulit, dum corpore vita manebat.
Vnde ea vis animo, & lingua Mars tantus in iſta?
Vt barbam horrificam compoſti in pace Leonis
Carpere poſt longum auderes lepus interuallum
Lingua, quam ereptam decuit, ne crimina fœda
Spargeret; èq; tribus quæ Dira ſororibus vna
Cùm legeret, faciem contraxit ruga, comæq;
Anguibus implicitæ riguerunt vertice quaſſo.
Sed quibus in luſtris latuit ſine nomine virtus
Tam cælata diu? ô facinus mirabile, & audax,
Herculis inuicti virtutem, iſtosq; labores
Ore ruit, dentesq; Bauaricus exacuit Sus.
Cuius ea eſt feritas, humana vt ſtirpe creatum
Dicere nemo, niſi humanum in genus impius, auſit.
Quid verò, aut quo nam pecudem nunc perſe-
quar ore,
Quam Circe ſiliquis corruptam, ac glande refertam
Demiſ

Demiſſum ventrem, lucis eduxit Auernis.
Qui, ſi ſentiret quo ſe deuinxerit auſu:
Se miſerum in crimen, ſe in ius, ſe in fata vocaret
Iudex ipſe ſui: Nec longè ſcilicet ipſi
Quærendus nodus, lumbos, atq; ilia mordet,
Et crurum tenus à collo redimicula pendent.
Sed furijs, Talpæ mens effera, lucis & vmbræ
Non diſcrimen habet, nec ſunt ſcelera vlla dolori:
Eſt deſperatis quædam inſanire voluptas.
Te læuam ad mentem peperit Natura: voluntas
Exercet, quædamq; vſu eſt contracta facultas,
Vt centum Anticyræ nequeant ſanare furentem.
At non ingenij vi, non grauitate, nec vlla
Mente tua hæc nobis infanda moleſtia fertur,
Sed noſtro torpore, ſtyli quòd hebeſcere acumen
Tàm longùm patimur. patientia noſtra furorem
Hoſtis alit. Tantóq; etiam nos turpius ictum
Accipimus, quòd non tali iactamur ab hoſte
Fortis vt in pugna miles de milite forti
Concidere accepto videatur vulnere honeſto.
Conuellit ſacra noſtra, ſtatum templiq;, foriq;
Quo vir ſplendore? & qua vi? quo nomine? & ar-
Semiuir, ex luſtris repens, in fornice natus, (te?
Qui victum ex pannis, ex filo, & forcipe quærens
(Pronũ equidẽ genus hoc in crimẽ, & aſpera verba)
Ponit acum, & ſumit calamum, laceramq; lacernam
Verſico-

Verſicolore ſtylo, & furtiuo fragmine ſarcit
Sartor & aſſertor Papæ. Sed penula trita
Penè eſt nulla, ſitu ſqualens, rimiſq; fatiſcens,
In qua Syllanæ poſuêre cubilia vermes.
Sartor Apoſtolicæ ſedis tibi Papa trophæum
Dum parat, id filo iam errante in ſubligar exit;
Dignum Pontifici geſtamen tale Luperco.
Vt pecus auritum ad cytharã: ſic ceſsit ad aram
Porcus haram linquens: & inania murmura fren-
Improba ſus doctæ contendit in arte Mineruæ. (dẽs
Quorum ſplendorem maculis non afficis ? &
Ex alto, tenuíve loco non ore nefando (quos
Impetis? vt numero quæras tibi nomen in iſto,
Cui, ne fortè viri integri pilus vnicus eſſet,
Omnibus in morẽm tonſa coma demta corona eſt,
Nec bonus auditur vir quiſquam, aut cernitur vlli.
An tu quantùm animis valeat, quantùm arte ſa-
Teutoniæ Vates facies ô Naſſe periclum, (crata
Vipera qui ſæuis furiarum ex anguibus vna es?
Cunarum labor eſt Monachos ſuperare ſuarum,
Quẽ non ira Aquilæ, nec ſparſum fulmen ab Vrbe,
Hoſpitio antiquo Caci, aut Leo terruit ipſe
Vittis, & triplici præcinctus tempora criſta,
Ferrum non Verbum, clauam pro claue miniſtrans,
Nec ſtirpe, aut virtute animi Leo, ſed lupus aſper
Stratus humi, caudamq; vtero pauitante reflectens.
Quæ

Quæ regio in terris non huius plena laborũ eſt?
Nanq; alios inter tantum caput extulit arte,
Vt ſatis ad laudem aſcendat, qui numine dextro
Non dicam aſſequitur, ſed tantùm cernere acuta
Mente poteſt quanta huic fuerit prudentia rerum.
Qui verbis potuit Martem retinere paratum,
Et ferrum extorquere manu. Tantum inſtar in illo,
Et tanta eũaſit fandi in ratione facultas,
Vt mentes hominum ille ſuo ſub iure tenere
Creditus eſt, quæ ſe mores ſequerentur in omnes,
Ad nutum & legerent faciles veſtigia: vt Orpheus
Mulcebat Tigres, & agebat carmine quercus.
Ingenium verò, vt Vatum monumenta priorum
Vinceret, vt ſtellas premit omnes luce ſua Sol,
Aut canor ille æris crepitacula tinnula ſuprà
Æditur, atq; aures ſonitu percellit acuto.
Sicq; virum in fama, virtutis opinio vexit, (putarent
Vnum hunc dona Deûm vt ferre omnia mente.
Et tu impura lues hunc polluis? aurea ſcripta,
Cedro digna, tibi conquiris mente profana,
Et legis hæc oculis violatis, ſordeq; tinctis
Attrectas manibus: Ceu cùm deformis Arachne
Suauibus ex herbis turpi coquit ore venenum.
Scribendi ſegetem tibi carpis litibus horum
Qui pugnæ cupidi cœtus liquêre priores

Annè horum facinus debet probro eſſe Luthero,
Obtineátue locum maledicti, iniuria Flacii?
Non igitur telis locus eſt, quæ plurima noſtris
Obijcis: hinc aliena luant commiſſa? tuumq;
Afferat his cumulos accepta ad vulnera probrum?
Vos pridem afflictos, ſine Marte, ſine arte iacētes,
Oppreſſos cauſſa, à profugis contentio mota
Excitet, vt verum falſi inſimuletis, & iſta
Sorde quibus fœdant alij cœleſtia ſcripta,
Paſcatis veſtros animos? ceu pabula quærit
Bruchus edax ſua proiecto de ſtercore tauri:
I nunc & dictis Lutherum illude ſuperbis.
Ille quidem ad ſuperos, quorum pia ſacra ferebat,
Conceſsit moriens, viuusq; per ora volabit
Docta virûm, & veſtras ex alto deſpicit iras.
Et quanquam poſt fata viri, iam emergere ten-
dunt
Lernæi capita anguis, & impia ſibila miſcent:
Poſthuma vis tamen ipſa viri, quã in ſtirpe reliquit
Succedente operis, munuſq; obeunte relictum,
Vna vel ad peſtes reſecandas ſufficit omnes.

Stat fatis Argo quæ vexit in æquore vaſto
Delectos heröas, & arte, animoq; potentem
Teutonicum Alciden, nec adhuc pia diſsilit Argo;
Nec curſu excutitur, dum Vatum candidus ordo
Ex-

Excubat, exercetq; vices; Et Typhis ab alta
Puppe ſedens nautas ex rutæ flore coronat,
Et medicas adhibere manus ad vulnera Chiron
Non dubitat; filoq; duce errabunda retexit
Furta domus Theſeus, & voce, lyraq; periti
Inflectit manes Orpheus, Delphinas Arion.

Et rudis hos contrà voces nunc iactet inertes
Naſſus, & exanimes vocet in certamina patres?
Sed nil de virtute virûm per iurgia fœda
Detraxti: at poſſes, ſi ferres laudibus iſtos.
Quò minus eſt nobis curæ furia improba linguæ
Naſſe tuæ: Quid enim poſſent tua carmina in illos,
Quos ars, atq; ardens euexit ad æthera virtus?
Hi pœnas à te repetent, quando alitis eſca
Viua ferêre: canem te qui canis obſidet Orcum
Carpet, latratuq; ſuo tua dicta refellet
Verſans dente; tibi ceruixq;, comæq; trahentur
Per terram, atq; ſtryges merſabunt ſanguine roſtra.
Hic vir, hic eſt, qui dîs & Muſis crimina dixit,
Præcones Furiæ clangent: cum vertice calcem
Vertite, ferte, agitate, retundite, ſpargite terræ
Viſcera, & in caput, inq; pedes reuoluta ruat ſus:
Ingeminentq; vmbræ hanc vocem: ſit pœna merenti.

AD ILLVSTRISS:
DVCEM AVGVSTVM
ELECTOREM &c.

25. Martij.

HÆc eſt illa dies qua Flamine fœta ſacrato
Virgo ſuum autorem concepit, terraq́ꝫ cœlum,
Mortaliſq́ꝫ Deum; mundiq́ꝫ recente figura
Primus homo è limo generis primordia duxit;
Quaq́ꝫ Dei natus quondam trabe fixus in alta
Crimine præcluſum reſerauit ſanguine cœlum.
Vna dies tot ſacra refert ſpectacula rerum
Anni momento canam quo terra ſenectam
Exuere, & viridem viſa eſt aſſumere formam,
Multaq́ꝫ ſe florum fert ſuauis imago ſub auras,
Gratantumq́ꝫ ſonis auium nemora auia feruent.
Nam Deus humanum genus illa luce creauit
Mentis ad exemplar propriæ, autoremq́ꝫ referre
Iuſticia, & meriti impenſis per mutua, iuſsit.
Pôſt in conceptu noua fœdera Filius icit,
Cùm Deus & natura hominum venêre ſub vnum;
Qui nexus ſtabilis mentes ceu pignore firmat,
Quòd noſtri cura tangatur rector Olympi.
Et cùm tale Deus nobiſcum fœdus iniuit;
Nos quoq; vult factis, & mente referre magiſtrum,
Perq́ꝫ vices animo iungi, & certare merendo.

Cùmq́ꝫ

Cùmq; necem noſtri cauſa ſuſceperit vltrò,
Atq; ſuam vitam nobis donârit habendam:
Nos iubet officia in medium ferre omnibus vſu,
Et veniam orantes complecti mente benigna.
Lucibus his antè ora Patris ſe poplite flexo
Natus humi abiecit, ſeq; ipſum ſpontè, ſuumq;
Oppoſuit caput ad pœnam, ne lapſa periret
Stirps hominũ. Tuáne hęc ſeruor per vulnera Chriſte,
Morte tua viuens? nos vicit ab arbore Serpens,
Et tu Serpentem ſuffixus in arbore vincis.
Anguis flagitium & mortem generauit in horto,
Sanguis iuſticiam & vitam reparauit in ara.
Te te cerno rubis frontem, ferroq; per artus
Confixum; cor vulnere hians perſcrutor, & illinc
Curam diſco mei: mihi mollia brachia fidos
Tendis in amplexus; pro me liuentia clamant
Vulneris ora tui, atq; in ſe mea crimina ſorbent.
Ne ſine me ſine fruge mea tua vulnera fruſtrà
Aſpicere, aut vinctum me dura in ſorte tot annos
Te vinctum in celſa trabe caſſa in vota vocare:
Sed tandẽ expectate veni, & mihi mortis in vmbra
Exorere ô lux fida hominũ, et duc Chriſte ſub auras
Ægrum, indignantem, caream quòd ſolus honore
Gratantis pompæ tibi pòſt tua fata peracta
Debita, & exhauſtos indignari in morte labores

Eueherem in lucem mecum tot carmina laudi
Facta tuæ, Auguſtoq́ Duci. Sed ſacra vacantem
Auguſtum iam in vota, ſacra inter vota moneto,
Vt Vati iubeat quàm primùm vincla leuari.
Cunctantem, his inuade ſonis: Quæ vincula Vatē
O Auguſte tuum retinent, ea vincula laudes
O Auguſte tuas retinent: Vatem eripe vinclis,
Et tua laus omnes peragrabit libera terras.
Verùm age, & hunc mecum partire Auguſte labo-
Huic ego ſeruabo vitam, tu redde ſalutem, (rem:
Vna anima hæc ambobus erit per carmina laudi;
Qua, ſi me, teq́ ipſum etiam nunc tollit ad aſtra,
Quid faciet meliore loco? quem reddere Vati
Tu potes, & Vates tibi laudum dona reponet;
Quorum illud, veniæ eſt, hoc, grati pignus amoris.
Si nolles homini dare, des veniam artibus oro,
Ne fòrs non hominem videâre odiſſe, ſed artes:
Quas vt ſuſtineas, tua te iubet inſita virtus,
Illum vt reſtituas, pietas nunc admonet vltrò.

In Arcem Ducis Saxoniæ AVGVSTI,

Electoris &c. (quæ vulgò Auguſtusburck *appellatur.)*

QVòd Domino, Dominæq́ piæ, domuiq́ ſalutem
Afferat; Auguſtus Dux noua tecta ſubit.

Quæ

Quæ priùs hîc humili ſtabat ſita regia cultu,
Nunc clarum ad cœli ſydera tollit opus.
Si molem, aut artem ſpectes, vix Itala tellus,
Gallica vix arcem ſuſtinet ora parem.
Quàm benè diſpoſitæ ſedes, quæ forma, quis vſus,
Quàmqꝫ aër tenuis, quàmqꝫ ſalubris aqua?
Nil ipſo Domino melius tamen arce tenetur;
Arx igitur nomen de meliore trahit.
Quin, arcis ſpecies tanta ratione locata,
Non caſu mundum hunc admonet eſſe ſatũ.
Nam ſi non arcem facere, aut vna atria poſſunt
Corpora quæ nulla prædita mente volant:
Quis putet ex illis mundi fluxiſſe figuram,
Cuius opus longè plus rationis habet?
Cerne, ratum cœli motum, & decora inſita cœlo,
Et terræ leges, officijqꝫ vices.
Quid rationis egens potuit res condere tantas,
Quas & noſſe ſatis vix ratio vlla poteſt.
Dum tamen Auguſtus colit hanc quã condidit ar=
Hunc quædã æternæ paſcit imago domus:(cẽ,
In quam tranſlati, & tuta velut arce recepti,
Hoſtis tartarei deſpiciemus opes.
Nam cura & ratio condendi firma theatra,
Nos ſenſum æternæ ſignat habere domus.
Quò precor vt ſerò migret; nam veriùs orbis

Ergo domum, & dominũ cœleſtia numina ſeruent,
Qui ſaluus, nobis omnia ſalua dabit.

IN IMAGINEM

RELIGIONIS REQVIESCENTIS SVB RVTA, QVÆ EST INSIGNE Auguſti Ducis Saxoniæ, Electoris &c.

Hic vbi ruta nemus facit, vmbram quærit in æſtu
Relligio; & ruta tuta virente viret.

PAX.

VT pax longa colat terras; prece poſcite ciues
Pacis amatori tempora longa Duci.

In Imaginem D. Lutheri.

LVtherus decimum confecit ſtrage Leonem:
De claua noli quærere, penna fuit.

IN IMAGINES CONIVNctas D. Lutheri, & D. Philippi.

DIuiſæ his operæ, ſed mens fuit vnica: pauit
Ore Lutherus oues, flore Melanthon apes.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE